

*No. 32.*






DISSERTATIO INAUGURALIS  
 HISTORICO-MEDICA  
 DE  
 ANTIQVA  
 MEDICINAE DIVISIONE

*Ma 1725*

IN  
*διαίτησιν, Φαρμακευτικῶν, et χειρουργικῶν.*



QVAM  
 FAVENTE SVMMO NVMINE  
 IN ALMA IVLIA CAROLINA  
 GRATIOSI MEDICORYM ORDINIS  
 AVCTORITATE ET CONSENSV  
 PRO GRADV DOCTORIS  
 SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
 RITE OBTINENDIS  
 D' XXX SEPTEMBR' MDCCLXVI  
 HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS  
 PVBLICE DEFENDET

AVCTOR  
 MARTINVS IACOBSEN  
 ALTONANVS



HELMSTADII  
 TYPIS VIDVAE SCHNORRIAE, ACADEM. TYPOGR.

*Fre. Gro. V.*





MEDICINAE DIVISIONE

GRATIOSAMENTE

PRO CURA


MARTINUS JACOBI







DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
ANTIQUA  
MEDICINAE IN TRES PARTES  
DIVISIONE.



§. I.

t humana omnia, minima maxima, mutationi temporumque vicissitudinibus subiecta sunt: ita scientias quoque, cunctas singulasque, eadem huic mutationi minime exemptas esse, omnes omnium disciplinarum historiae docent. Vt enim omittam reliqua, quot et quantas mutationes, transformationes, quin dilacerationes passa fuit illa ipsa reliqua-

A

qua-



quarum disciplinarum veluti magistra, Philosophia, quae a multis variisque, quos habuit, auctoribus modo corrupta, modo etiam emendata sic fuit; vt longe alia, quam habebat olim, faciem nunc appareat.

## §. II.

Idem igitur rei medicae accidisse, eo minus est mirandum, quo magis hanc cum illa quondam arctissime coniunctam fuisse, constat inter omnes. Quin etiam nunc artem nostram philosophiae partem non inepte dixeris, quantumvis per tot iam secula seorsum et tradita a doctoribus et ab alumnis percepta fuerit. Quum enim rerum corporearum scientia philosophiae pars ea sit, quae in corporis cuiuscumque demum adeoque humani quoque *οικονομια* inquirat, eamque explicet; non video, quidni omnem rem medicam ad philosophiam quodammodo referri posse, recte existimem. Ex quo interim medicinam a philosophiae studio separavit, eamque sibi posterisque suis seorsum tractandam putavit Hippocrates; vario modo, diuersisque temporibus haec ars et definita et diuisa fuit. De definitione autem dicere cum ab instituto meo alienum sit, adeoque nihil attineat, de sola diuisione quaedam nunc differere mihi liceat.

## §. III.

Iam vero artem medicam, cum a veteribus, tum a recentioribus varia ratione variasque in par-



partes diuisam fuisse, neminem fugiet eorum, qui vel mediocrem aliquam historiae litterariae medicae operam dederunt. Praesertim veteres in constituendis medicinae diuisionibus copiosi fuerunt; quod intelligere est cum ex aliis eorum libris tum ex eo Galeni, qui *de artis medicae partibus* inscribitur. Quarum autem veterum diuisionum nonnullae videntur paullo obscuriores, aut ita certe comparatae, vt non facile intelligas, quomodo accipere eas aut interpretari oporteat. Quod non aliunde esse dixerim, quam quod veterum cum Graecorum tum Romanorum monumenta partim perire integra, partim vero ad nos misere truncata, adeoque manca peruenerunt, vt saepe nec auctorum, quorum scripta habemus, nec ipsarum disciplinarum ab ipsis cultarum vera ratio satis perspicue hodie percipi queat. In his interim antiquis diuisionibus explicatu haud facilibus recte fortassis numeraueris illam medicinae in tres partes siue diductionem siue diuisionem, quam prae ceteris etiam CELSVS habet praef. in libr. I. vbi *iisdem*, inquit, *temporibus in tres partes medicina diducta est: vt vna esset, quae victu: altera, quae medicamentis: tertia, quae manu mederetur. Primam διαιτητικήν, secundam Φαρμακευτικήν, tertiam χειρουργικήν Graeci nominauerunt.* Hunc locum sua premi difficultate, aut ab omni certe obscuritate non esse liberum, nisi per se intelligitur, ex dissensu tamen eorum apparet, qui ad eum explicandum aggressi sunt. Varii autem iidemque magni nominis viri in



adscriptis Celsi verbis explicandis ita sunt versati, ut qualem diuisionem hic intelliigi voluerit auctor, inquirerent. Quorum vero alii cum in diuidenda hac artis nostrae diuisione ab aliis discrepent, ut, cuius potissimum sententiam amplectare, non omnino appareat; haud me operam lusurum existimaui, si laudatum Celsi locum huius dissertationis meae argumentum facerem, etiam, quae mihi quidem hac de re videantur, prolaturus in medium. Ad quod perficiendum antequam ingrediar, forte non abs re fuerit, si, quid de hoc loco alii senserint, breuiter exposuero.

### §. III.

Inter eos itaque, qui supra excitatis Celsi verbis lucis aliquid adfundere studuerunt, principes facile nominari merentur DAN. CLERICVS et IO. HENR. SCHVLTZE, magni illi duumviri, deque historia litteraria medica praeclare meriti, quorum vterque de hac medicinae in tres partes diuisione et reliquis scripsit fufius et peculiare caput, huic dicatum, scriptis suis inseruit. Horum igitur virorum sententiae, quantumuis diuersae cum ita comparatae sint, ut earum alterutram sequantur auctores reliqui; age proponamus eas, quobis his iudiciis nostrum quidem deinde interponere, possimus. Incipiamus a CLERICO, qui *hist. medic. P. II. libri I. cap. 9.* quo eius de diuisione nostra iudicium continetur, a) *medicinae in tres profes-*

a) Partage de la medecine en trois Professions.



❧   ❧   ❧   ❧

5

*feffiones partitionem* inscripsit. Ex quo ipso titulo, quorsum auctor tendat, quodammodo iam potest intelligi. Nimirum ita medicinam temporibus Herophili et Erasistrati diuisam, aut potius distractam fuisse arbitratur, vt tria distincta munera medica, adeoque tres a se inuicem diuersae sanantium formae existerent, *diaeteticorum* puta, *pharmaceutarum* et *chirurgorum*, quorum singulorum etiam descriptionem exhibet. Qui diaeteticen exercebant, eos in curandis internis tantum morbis, quorum causae intrinsecus quippe herentes explicatu difficiliore esse solent, occupatos fuisse, contendit, similesque his, quos hodieque *clnicos* vocamus. Quam ob rem, et quoniam praeterea etiam naturali philosophiae operam dabant, ad *diaeteticos* tanquam eminentes inter medicos, reliquosque et eruditione et honore superantes principatum defert. *Pharmaceutas* deinde id tantum existimat operam dedisse, vt sanguinem sisterent, vulnera sanarent aperta, vlcera porro, tumores, abscessus, vno verbo, ea corporis mala tractarent, ad quae tollenda solus medicamento- rum externorum vsus et applicatio sufficeret, reliqua omnia, quae instrumentorum opera indigebant, *chirurgis* relinquentes, quibus secantibus tantummodo vrentibusque, secundum Celsum, vt putat, ne vulnere quidem, multo minus autem vlcere tumorumque sanationem suscipere licuit, nisi, quatenus in his incisione erat opus.





## §. V.

Haufit vir optimus hanc opinionem, ceu ipse fatetur, ex Celfo, qui, cum suos de re medica libros in tres partes descriptos secundum hanc in totidem partes diuisionem disposuerit; facile lectorem minus cautum eo potest perducere, vt cum cel. CLERICO in eadem sententia sit. Praesertim in nonnullis praefationibus quaedam reperiuntur, quae sententiae huic aliquid addere roboris videntur. At vero, longe tamen aliter res sese habere, cum aliunde constat, tum ex iisdem Celsi praefationibus potest intelligi, vbi de singularum diuisae medicinae partium cultoribus differens ea profert, in quibus quiduis potius, quam eiusmodi medicinae distractionem, aut talium tamque arête limitatorum munerum descriptionem deprehendi posse, dixerim. Quodsi enim tale quid inuere voluisset, non dubito, quin longe clarioribus verbis vsus diuersa ista munera eadem descripsisset perspicuitate, qua praef. in libr. VII. qualis bonus esse chirurgus debeat, exposuit. Celsium autem de eiusmodi diuersis professionibus describendis ne per somnium quidem cogitasse, ea quoque testantur, quae cel. SCHVLZIVS disputat *hist. medic. Part. II. c. V. §. 3.* vbi Celfo autem, inquit, in animum non venisse, vt dicere vellet, medicinae totum corpus dissectum quasi aut distractum in tres disiunctas partes fuisse, quisque attente eum legit, statim intelligere debet; et tota historia, quam haecenus persecuti sumus, docet, non solum Hippocratem, Dioclem, Pra-



Praxagoramque aequè victu praescribendo, ac medicamentis et chirurgiae praesidiis hominibus profuisse; verum etiam Herophilum et Erasistratum, atque ab his deductos viros, itemque Empiricos, qui rationalem disciplinam abdicauerant, non minus victu, quam medicamentis et manuum instrumentorumque opera, pro ea ac necessitas postularet, aegris succurrissè. Hactenus ille; qui suum hac de re iudicium aliis quoque argumentis confirmare annititur. Accedit, quod GALENVS, PLVTARCHVS, alii qui, vt postea videbimus, partitionis nostrae aequè mentionem fecerunt, ne verbum quidem habent, quo laudati CLERICI sententia vel aliquo modo possèt confirmari. Hinc, quin cel. viri opinio omnino improbanda sit, equidem non dubito.


## §. VI.

DAN. CLERICVM longo agmine secuti sunt alii, vt ANDREAS OTTOMAR GOELICKE *b*), GOTTLIEB STOLLE *c*) rel.; quorum autem placita hic referre superuacaneum foret, quoniam hi scriptores sui tanquam antesignani sententiam, aliis licet verbis expressam, protulerunt. Quibus igitur praetermissis, proximum est, vt de iudicio dicam, quod de memorabili nostra medicinae in tres partes diuisione tulit supra iam laudatus IO. HENR. SCHVLZIVS, quod plane ab illa cel. CLERICI

*b*) histor. medic. vniuersal. Period. VI. §. 154. sqq.

*c*) Einleitung zur Historie der medicinischen Gelahrtheit pag. 29, §. 26.





rici aliorumque hunc sequentium opinione diuer-  
 sum est. Is namque omnem eiusmodi medicinae  
 in diuersas professiones distractionis ideam de me-  
 dio tollit, et Celsum dicto loco nihil aliud indica-  
 re voluisse contendit, quam quod medicina He-  
 rophili et Erasistrati temporibus maiora ceperit  
 augmenta, magisque quam antea, per singulas  
 partes suas, aucta atque culta fuerit. Quam qui-  
 dem sententiam *hist. medic. Period. II. c. V. §. 2* his  
 quidem verbis profert. *Notanter autem Celsus di-  
 cit DIDUCTAM ESSE, quod quidem ex usu latinae  
 linguae idem esse, mihi quidem videtur, ac si dixisset,  
 compressus antea et contractas artis salutaris partes,  
 postquam illa ab Asclepiadis primum, deinde Philoso-  
 phis liberata fuit (quorum illi eam superstitionibus in-  
 nexam tenebant, hi tanquam parergon tractabant, et  
 sophisticis disputationibus irretiebant) amplius sese  
 explicuisse, quemadmodum flores tempestiue diducun-  
 tur, aut compressa manus explicatur, omnesque suas  
 partes pulcre libereque ostendisse; atque, ut vno ver-  
 bo dicam, quicquid ad perfectionem partium suarum  
 requiri poterat, breui consecutam esse.* Haec SCHUL-  
 ZIUS. Iam etsi non ii sumus, qui tantorum viro-  
 rum placitis et auctoritatem et fidem habentibus  
 aduersari iure nos posse existimemus: tamen, quo-  
 niam saepe, praesertim in historicis, *ἐπιπρατει*  
*ναι σοφῶς σοφωτέρος*, ut est apud Aesculium;  
 Schulzianis his modeste addere nonnulla mihi li-  
 ceat.

§. VII.



## §. VII.

Primum igitur vir celeberrimus non rite ver-  
fari mihi quidem videtur in *rs deducta in partes* in-  
terpretatione; quae quidem verba ita accipit, qua-  
si apud CELSUM nihil aliud, quam *aucta magis,*  
*culta aut locupletata per partes* significant; quod se-  
cus esse ex mox dicendis apparebit, ubi illud *didu-*  
*cere cum diuidere* idem esse demonstrabimus. De-  
inde vero Schulziana haec verborum Celsi inter-  
pretatio eiusmodi est, vt, si eam omni ex parte  
probes, artem salutarem Herophili et Erasistrati  
temporibus reapse diuisam fuisse, omnino negan-  
dum sit. Quod si enim Celsum nihil aliud indicas-  
se concedas, nisi quod medicina tum temporis  
maiora ceperit incrementa, sequitur, vt veram  
eiusdem in partes diuisionem qualemcunque de-  
mum innuere hic noluerit. Quod autem quin re-  
uera fecerit Celsus, cum, ceu statim videbimus,  
dubitari nequeat; facile intelligitur, clarissimi viri  
sententiam mancam, adeoque non vsquequaque  
probandam esse. Quemadmodum igitur CLERI-  
CVS, diuersas istas professiones seu munera medica  
sibi fingens, definitionem nobis exhibuit re defini-  
enda latiore; ita SCHVLZIVM nostrum laudatum  
Celsi locum limitasse iusto arctius, ac pro inde ex-  
plicationem re explicanda angustiore dedisse di-  
xerim.

B

## §. VIII.



## §. VIII.

His aliorum iudiciis, sequitur nunc, vt equidem addam meum. Diu multumque de supra descriptis Celsi verbis rite interpretandis mecum cogitavi, operamque dedi, vt omnem potestatem ac vim iis subiectam, quantum eius a me fieri posset, eruerem, atque intelligerem, vtrum medicina *Herophili* et *Erasistrati* aevo reapse diuisa fuerit, nec ne; et si diuisa fuit, quomodo hoc factum, quae nam singularum diuisae medicinae partium vera ratio, quidue vnique earum proprie esset tribuendum. Hinc primum adii historiae medicae scriptores eosdemque praecipuos; quorum tamen, si quod res est dicendum, mihi fateor satisfecisse neminem. Deinde circumspexi auctores alios, praesertim veteres *CELSE* vel aequales vel haud adeo multum ipso iuniores, si forte in his aliquid offenderem, quod ad dissipandas faceret quasi nubeculas, quibus *CELSI* verba, mihi quidem, tecta videbantur et obuoluta. Quae igitur partim legendo, partim vero meditando, variasque rationes huc pertinentes inter se comparando, animaduertisse mihi videbar, ex iis nata est sententia qualiscunque, cuius proferendae nunc faciam initium.

## §. VIII.

Ante omnia autem requiritur, vt artem salutarem temporibus istis reipsa fuisse diuisam demon-



monstremus. Cuius rei necessitatem nobis imponunt ii, qui cum clar. SCHVLZIO verbis *diducta in partes* apud CELSUM nihil aliud indicari volunt, nisi, medicinam *iisdem temporibus* multorum industria auctam per partes tantum modo magisque quam antea cultam fuisse; quique adeo, vt supra iam dictum est, omnem diuisionis ideam reddere dubiam, ac tantum non tollere de medio videntur. Illud igitur *deducere in partes* idem esse, atque *diuidere in partes* cum ipse Celsus testetur, tum idem ex veteribus reliqui docent, apud quos vtramque formulam, ausim dicere, eiusdem vbique significationis esse. Verum est, verbum *deducere* per se et seorsim spectatum contrarium esse *contrahere*, adeoque haud raro non significare nisi *dilatare, extendere* seu *maius reddere* aut *latius*. At enim vero, quoties hoc verbum vocibus *in partes* iunctum deprehendatur, toties apud veteres latinos, quod sciam, nunquam non *diuisionem* quin *distractionem* denotat. Celso autem τὸ *diducta* excitato loco idem esse atque *diuisa*, ex eiusdem praefatione his verbis potest intelligi. *Sic in duas partes ea quoque, quae victu curat, medicina diuisa est* — vbi τὸ quoque non scripturus fuerat, nisi superiori etiam loco veram diuisionem intelligi voluisset. Plurima ex aliis veteribus exempla ad rem nostram facientia huc possem transcribere, nisi studendum mihi breuitati, aut parcendum lectoris patientiae esset. Vnum tamen adferam, quod est apud Horatium art. poet. v. 325.





Romani pueri longis rationibus affem  
 Discunt in partes centum *diducere* —

Vide etiam ERASM. ROTER. *de copia verbor. ac rerum in diuidendi form.* Quae cum ita sint, quin Celsus medicinam dicto loco reuera diuisam dixerit, amplius non erit dubium.

### §. X.

Postquam igitur Ciceronem nostrum veram artis medicae diuisionem innuisse demonstrauimus, sequitur nunc, vt, quomodo diuisa fuerit h. e. qualem diuisionem hic intelligere nos oporteat, videamus. Scilicet varia ratione, varioque respectu de arte salutari, eam esse diuisam, potest dici, ac proinde varia constituere diuisionum genera licebit, e quibus sententiae nostrae clarius explicandae causa, tria potissimum nominasse sufficiet. Primum quidem illud est, quod in scholis adhiberi solet, et secundum quod medicina hodieque dispescitur in *theoreticam* et *practicam*, quae deinde partes scientiae nostrae maiores porro in minores solent diuidi. Qua diuidendi ratione scientiarum magistros constat vti ordinis causa, quem in rebus suis cum docendis tum discendis seruari volunt; quapropter huiusmodi diuisiones *scholasticas*, *mentales*, seu etiam *logicas* recte dixeris. Alterum deinde diuisionum genus est eiusmodi, vt non tam ipsam artem diuidat, quam ipsius cultores, qui de certis rei suae principiis siue capitibus



tibus inter se dissentientes ideoque diuersas sequentes opiniones in varias et distinctas abeunt partes, sectasque constituunt: quo vetus illa medicinae in rationalem et empiricam diuisio seu diuisio potius referenda est. Tertium denique genus illud esto, quod diuersa sanantium munera facit, quo medici, ut hoc utar, olim distinguebantur ab Iatraliptis aut hodie medici clinici a chirurgis, balnearioribus cet. diuersi sunt. Huius generis diuisio, quam verius medicorum munerum distinctionem dixeris, iterum non tam ad ipsam artem pertinet, quam ad eius cultores, siue ad diuersam diuersorum in facienda medicina constitutorum medendi rationem, qua in homine sanando vel conferuando in vniuersum opus est.

## §. XI.

His praemissis, veluti sponte, quodnam ex constitutis diuisionum generibus Celsus innuere voluerit, quaestio oritur. Quod si cel. CLERICVM audias, qui professionem salutarem ita diuisam arbitratur, ut tres minores quasi professiones inde existerent, quin illud, quod extremo posuimus loco, indicauerit, non erit dubium. At vero si consideres, primum, eum sententiae suae argumenta in ipsis Celsi libris h. e. ibi quaesiuisse, ubi nulla eiusmodi argumenta sunt, et deinde addas, quae disputauimus supra, tales nempe pharmaceutas et chirurgos, quales ipse nobis depinxit,



vix vnquam degisse inter mortales; vel me non monente apparebit, non esse, quare magni ceteroquin viri hac super re opinionem et auctoritatem sequi velimus. Neque vero genus illud, quod secundum diximus, locum hic posse habere, facile intelligitur. Quis enim temporibus Herophili et Erasistrati diuisa medicina sectam *διαιτητικην*, *Φαρμακευτικην* aut *χειρουργικην* ortam dixerit? Quantumuis enim inter medicos veteres fuisse constet et qui diaetam pluris facerent, quam medicamenta et qui his plus in sanandis morbis quam diaetae tribuerent; idcirco tamen hos medicos diuersas constituisse sectas adfirmare minime licebit. Quare nihil restat, nisi vt laudatam Celsi diuisionem eius generis esse existimemus, quod omnium primum fecimus; quo referuntur siue partitiones siue diuisiones eae, quas *logicas* seu *mentales* vocant.

## §. XII.

Etiam si autem sententia nostra ex haecenus dictis sic satis probabilis videatur facta; ad eam tamen vterius confirmandam nonnulla aliorum scriptorum testimonia adduxisse iuuabit. Plures noui ex recentioribus fuisse, qui in eo mecum conuenirent, vt diuisionem nostram aequae logicam existimarent. Sed, praetermissis his, ex ipsis veteribus nonnullos excitabo, qui fide eo sunt digniores, quo ipsos CELSI temporibus fuisse pro-



propiores constat. Horum primus esto Galenus  
 noster, qui initio libri DE PART. ART. MEDIC.  
*Sunt enim quidam, inquit, quos possis audire se-*  
*cantes totam artem in pharmaceuticam et chirurgi-*  
*cam et dieteticam i. e. in eam, quae medicamentis,*  
*et eam, quae manuum opera, et eam, quae victus*  
*ratione medetur; et haec deinde in alias partes: non*  
*tamen, ut omnes mox eodem modo has parti-*  
*mur.* Quibus verbis, nisi plane fallor, intelli-  
 gitur, hanc vniuersae rei medicae in tres partes  
 diuisionem ab hominibus medicinam docentibus  
 adhibitam fuisse. Primum enim per *secantes*,  
 meo quidem iudicio, non intelligit, nisi eos,  
 qui in arte nostra vel viua voce vel scriptis et-  
 iam suis illustranda versabantur, adeoque bona  
 rei suae diuisione non minus quam definitione  
 carere poterant; id quod *το* audire GALENI  
 non obscure indicat. Deinde hanc medicinae  
 diuidendae rationem ait eiusmodi esse, ut nemo  
 eadem vti cogatur, sed ut medicis artem suam  
 vel eodem modo vel aliter etiam partiri liberum  
 sit. Hinc quid efficitur, nisi ut diuisionem hanc,  
 quippe arbitrariam, inter diuisiones mentales nu-  
 merari oporteat. Plura ex Galeni libris huc  
 spectantia adferre possem, si tanti esset, et nisi  
 vnum illud, quod modo adduxi, ad sententiam  
 meam roborandam sufficere arbitrarer.



## §. XIII.

Audiamus vero testem alium, PLVTARCHVM dico, qui vniuersam seculi sui medicinam HOMERO iam notam fuisse demonstraturus diuisionem nostram, alio quamuis modo profert *libr. de Homero p. 104. edit. Xilandr. vbi medicinae, inquit, altera est pars in contemplatione posita (θεωρητική) quae vniuersalibus rationibus, certa- que via doctrinae ad singulorum cognitionem perdu- cit: altera est effectrix, (πρακτική) quae opus facit: cuius partes sunt, victus rationem praescri- bens, manuum opera vtens, et medicamenta adhi- bens.* Hoc loco diuisionem indicari logicam pri- mum, non est, quod moneam. Deinde et hoc intelligi hinc posse dixerim, hanc ipsam partiti- onem Plutarchi temporibus inter omnes reliquas medicinae diuisiones praecipuam fuisse, et a me- dicis frequentissime adhibitam. Ipse namque Plutarchus de HOMERO eiusdemque rei medicae peritia scripturus ex plurimis artis nostrae diui- sionibus suo aeuo notis hanc potissimum, meo quidem iudicio, non electurus fuerat; nisi eam inter reliquas vel optimam vel notissimam iudi- casset. Vtut autem est, tamen ex haecenus di- ctis vtramque et GALENI et PLVTARCHI diui- sionem esse logicam patet. Quod cum ita sit, quid impedit, quo minus etiam CELSI diuisionem logicam putemus, praesertim quum apud eundem neque medicae distractionem in sectas, neque  
eius



eius in diuersas professiones diuisionem intelligere tuto liceat.

§. XIII.

Ceterum CELSVS diuisionem nostram *iisdem* h. e. Herophili et Erasistrati *temporibus* adeoque post HIPPOCRATIS obitum fuisse natam perhibet: licet, quo auctore, aut vbi terrarum id factum sit, non addat. Equidem hanc artis nostrae partitionem iis temporibus paullo antiquiorem, quippe a Platone prolatam, ac proinde viuentem Hippocrate iam vsurpatam dixerim. Quod vt credam adducor iis, quae inter Platonis placita commemorat DIOGENES LAERTIVS *libr. III. p. 89.* τῆς ἰατρικῆς, inquit, ἔσω εἶδη πέντε· ἡ μὲν Φαρμακευτικὴ· ἡ δὲ, χειρουργικὴ· ἡ δὲ διαιτητικὴ· ἡ δὲ νοσογνωμονικὴ· ἡ δὲ βοηθητικὴ· ἡ μὲν Φαρμακευτικὴ διὰ Φαρμάκων ἰᾶται τὰς ἀρρώσias· ἡ δὲ χειρουργικὴ διὰ τῶν τέμνειν καὶ καλεῖν ὑγιάζει· ἡ δὲ διαιτητικὴ διὰ τῶν διαιτῶν ἀπαλλάττει τὰς ἀρρώσias. d) Hinc igitur consequitur, vt diuisio nostra non HEROPHILIDEM temporibus primum orta sit, sed iam aeuo Hippocratico, aut Platonico, ni medicis, philosophis certe, magnam partem fuerit cognita. Quo concessio verisimile est, eam e Platonica

d) vide Galeni *libr. ad Trafsbulum, c. 24.* vbi haec Laertii confirmantur.



nica schola transiisse ad medicos, qui deinde in hac partitione disciplinae suae accommodanda proferendaque mire varii fuerunt. Alii namque *διαιτητικὴν*, *Φαρμακευτικὴν* et *χειρουργικὴν*, teste GALENO, primas medicinae maximasque partes dixerunt: quod idem quin etiam Celsus fecerit, equidem non dubito. Alii, praesertim empirici, medicinam a fine in *significatiuam*, *curatricem* et *eam, quae dicitur salubris*, diuidentes in diētas tres partes *curatricem* descripserunt. Fuerunt etiam, qui, sicut Plutarchus, his partibus constare *medicinam effectricem* dicerent. Interim, quin PLATO huius diuisionis tanquam primus auctor considerandus sit, Laërtii verba, Platonis quippe placitum exhibentia, vix dubitare nos sinunt.

## §. XV.

Hactenus de diuisione nostra in vniuersum egimus. Quoniam vero Celsus noster partitionem hanc verisimiliter eo est vsus, vt secundum eam tanquam normam aliquam vniuersae aevi sui medicinae quasi imaginem exhiberet; age nunc quaenam singularum partium vera ratio sit, quidue earum quaelibet sibi habuerit proprium, perquiramus. Incipiamus a parte *διαιτητικῇ*, h. e. ea, quae victu curat. Huius partis ad eamque pertinentium rerum veram ideam non aliunde tutius peti posse dixerim, quam ex ipso Celso, cum quia ipse primis quatuor libris *διαιτητικὴν*,  
meo



meo quidem iudicio, exposuit vniuersam, tum, quoniam ex aliis veteribus, qui de hac parte eodem egisset modo, noui omnino neminem. Nam HIPPOCRATES GALENVS, rel. scripserunt illi quidem de rebus diaeteticis, non tamen sic, vt, quemadmodum fecit Celsus, *διατητικῶν* tanquam primam maximamque medicinae partem constituerent. Celsum igitur qui sequi velit, is ad partem hanc referat oportet, praeter balnearum, vnctionis, frictionis cet. vsum omnem doctrinam de morbis internis, quorum causae explicatu difficiles sunt, et quibus victus ratio, Celso teste, maxime subuenit. Quin omnem hodiernam medicinam theoreticam dictis quatuor libris vtcunque expositam deprehendi posse dixerim. Hinc partem hanc a Celso vt difficillimam, sic etiam clarissimam dici, non est mirandum. De cetero notandum est, insignem illam medicinae in *empiricam* et *rationalem* diuisionem in hac tantum parte, non in reliquis quoque, factam esse. Res namque, de quibus a rationalibus dissentiebant empirici ad solam pertinebant *διατητικῶν*; vnde IO. ARGENTERIVS in *Claud. Galen. art. medic. comment. I. de corp. suo* quodam iure erroris conuincit *auctorem introduct.*, qui sectae rationalis auctorem et conditorem facere Hippocratem non dubitat. Ad medicos denique qui in hac parte vel exercenda vel colenda magis olim versati sunt, quod attinet; Celsus



eos viros dicit fuisse longe clarissimos, qui altius etiam quaedam conati, rerum quoque naturae sibi cognitionem vendicarent, tanquam sine ea trunca et debilis medicina esset. Hinc factum, ut recentiores in vniuersa veterum medicorum veluti censura ad diaeteticos principatum deferrent, eosque tales fuisse contenderent, quales moderni nostri clinici sunt. Quam quidem opinionem etsi non reprehendimus; tamen tantum inter diaeteticos et reliquarum partium cultores olim interfuisse, quantum hodie inter medicos clinicos, pharmacopoeos et chirurgos intercedere discriminis constat; id quod nonnulli haud obscure innuunt, a nemine satis demonstrari posse contenderim.

## §. XVI.

Sequitur *Φαρμακευτική*, quam Celsus ait medicamentis curantem, seu, ut alibi dicit, quae magis medicamentis pugnat. Haec igitur pars quin exposuerit, primum, de viribus et facultatibus medicamentorum cum interiorum tum exteriorum, et deinde de iis laesi corporis humani malis, in quibus medicamentorum maior quam diaetae manuumque operae vis esset, non est dubitandum. Nihilo tamen secius ex recentioribus aliqui *Φαρμακευτικήν* multo circumscripserunt arctius, ei quippe exteriorum tantum medicamentorum usum tribuentes, quoniam, opinor, ea quae Celsus *libr. 5 et 6* protulit, maximam



ximam partem externa sunt. Hinc etiam accidisse reor, ut nonnulli, medicinam nescio quam mutilam et truncam sibi fingentes, *diaeteticos* architectonico quasi iure in reliquarum partium cultores vsos, hos autem qui ad *Φαρμακευτικὴν* a scriptoribus referuntur, in sanandis apertis tantum vulneribus, vlceribus reliquisque externis nec igne nec instrumentorum opera opus habentibus occupatos fuisse arbitrarentur. At enim vero, praeter quam quod eiusmodi *pharmaceutas*, ut eos CLERICVS vocat, a nonnullis CELSI lectoribus non satis cautis fictos et quasi creatos fuisse, iam docuit vir clariss. SCHVLZIVS; e) alia omnia ipse quoque Celsus innuit *praef. in libr. 5. Dixi*, inquit, *de his malis corporis, quibus victus ratio maxime subuenit, nunc trans-eundum ad eam medicinae partem, quae magis medicamentis pugnat.* Quod, aut egregie fallor, aut idem est, ac si dixisset, *Φαρμακευτικῆς* tanquam obiectum ea corporis mala esse, quorum sanatio maxime medicamentis eget. Quibus vero in malis cum etiam sint, quae haereant intrinsecus; ac proinde tolli sine medicamentis internis omnino nequeant; nec horum, intus nempe adhibendorum remediorum vsus ab hac parte arcendum esse, facile intelligitur. Quantumuis autem *Φαρμακευτικὴν* medicamentorum et internorum et externorum vsus, sibi habuerit

C 3

pro

e) *compend. hist. medic. libr. II. c. 10.*





proprium: eam tamen nec victus ratione nec  
 manuum opera plane carere potuisse *Celsus* dicit  
 eadem in *libr. 5* praefatione. *Id* antea omnia in-  
 quit, scire conuenit, quod omnes medicinae partes  
 ita connexae sunt, vt ex toto separari non possint;  
 sed ab eo nomen trahant, a quo plurimum petunt.  
*Ergo* vt illa, quae victu curat, aliquando medica-  
 mentum adhibet; sic illa, quae praecipue medicamen-  
 tis pugnat, adhibere etiam rationem victus debet;  
 quae multum admodum in omnibus malis corporis  
 proficit. Hinc consequitur, vt trium partium al-  
 tera sine auxilio et notitia alterius nec percipi  
 nec doceri adeoque ne coli quidem potuerit.  
 Quod cum ita sit, quin ii, qui in *Φαρμακευ-  
 τικήν* vel exercendam vel suis illustrandam scri-  
 ptis incumbabant, quosque *Φαρμακευτικῶς*  
 appellare mihi liceat, reliquarum quoque parti-  
 um ideoque vniuersae medicinae periti fuerint,  
 non est dubium. *Φαρμακευτικῶς* itaque a diae-  
 teticis, ausim dicere, non distinctos fuisse nisi  
 studio, sic nimirum partem *Φαρμακευτικήν*  
 colentes illustrantesue scriptis suis, quemadmo-  
 dum illi colebant *διατητικήν*; licet non negauc-  
 rim, inter *Φαρμακευτικῶς* studiosos etiam fuisse,  
 qui in tollendis morbis dietam prae medica-  
 mentis contemnerent, haecque in aegrotis qui-  
 buscunque demum sanandis vtramque facere pa-  
 ginam arbitrantur; adeo, vt, quemadmodum  
*Celsus* refert, sine medicamentis nullum morbi  
 genus



genus curarent. A medicis denique *Φαρμα-  
νευτμοῖς* distinguendos esse pharmacopolas,  
*εἰσοτόμους*, seplasiarios et id genus alios, forte  
non est, quod addam. Haecenus autem de parte  
*Φαρμανευτιῆς*.

## §. XVII.

Restat, ut de *χειρουργιῇ* dicam, seu ea  
medicinae parte, quae manu curat. Etiam huius  
partis fines nonnulli iusto constituunt arciores,  
siquidem ei nihil praeter ignis et instrumentorum  
usum relinqui volunt. Itaque non potuerunt non  
*chirurgos* nobis describere, qui ut cel. SCHVLZII  
verbis utar, cauterium applicarent, incisionem  
facerent, fracta luxataque reponerent; ac deinde  
escharae procurationem, sanguinis sistendi vul-  
nusque deligandi curam, et quibus alias porro  
ad plenam sanationem opus est, *pharmaceutae*  
traderent; quales autem chirurgos unquam fuis-  
isse cum eodem viro doctissimo recte negaueris.  
Hanc interim opinionem, parum abest, quin na-  
tam putem ex minus accurata interpretatione eo-  
rum, quae CELSVS disputat *praef. in libr. I. ex-  
trem.* *Potest autem*, inquit, *requiri, quod huic  
parti proprie vindicandum sit; quia vulnerum quo-  
que ulcerumque multorum curationes, quas alibi  
executus sum, Chirurghi sibi vendicant.* Quae verba  
fateor posse quemuis facile eo perducere, ut  
idem cum illis de chirurgis veteribus iudicium  
ferat.



ferat. Quid enim inde videtur colligi posse, nisi hoc, non licuisse olim chirurgis igne tantum et instrumentis pugnantis vulnera aperta ulceraque sanare? At enim vero perquiramus paullo diligentius quales *curationes*, qualesue *chirurgos* hic narret CELSVS, et alium horum verborum sensum esse apparebit. Scilicet per *chirurgos* hoc loco, ut mea fert opinio, non tam eos intelligit, qui chirurgiam re ipsa exercebant, quam qui eam colebant, augebant observationibus, suisque illustrabant scriptis; ut igitur *curationes* non tam eae hic intelligendae sint, quae reapse suscipiebantur a chirurgis, quam potius hae, quas medici chirurgici in operibus de *χειρουργικῆ* agentibus describebant, explicabantque. Verisimile autem est inter hosce *χειρουργικῆς* cultores fuisse, qui de hac parte scribentes eorum etiam vulnorum ulcerumque mentionem facerent, in quibus plus medicamentis quam manu proficitur, quaeque adeo ad partem *Φαρμακευτικῆν* verius quam ad *χειρουργικῆν* pertinebant. Et sic demum adscripta Nostri verba arbitror accipienda; alias me Celsum circa laudatae praefationis finem disputantem non intelligere confiteor. Ceterum quaestio, *quatenam ad partem χειρουργικῆν sint referenda ab hac, quorumnam corporis malorum curationes medico chirurgico suscipere olim licuerit*, plane est diuersa. Ad primam quidem quod attinet, equidem non possum, quin tres illas diuisae

311





6

fae medicinae partes vt tot diuerfas disciplinas considerem, in quibus singulis magis colendis medici maxime studio a se inuicem diuersi olim versati sunt; quod Schulzianae de diducta medicinae sententiae est consentaneum, et ab ipso etiam *Celso* confirmatur, siquidem de singularum partium cultoribus tanquam disciplinarum seorsum culturarum professoribus hinc inde verba facit: quin eadem in libr. 7. praefatione partem *χειρουργικὴν* disciplinam ipse appellat. Si quid igitur libris suis definire aut determinare voluit noster: eum non, opinor, quid *chirurgis* aut *clinicis* faciendum omittendumue, sed quid singulis diuisae medicinae partibus vindicandum docuisse. Itaque *χειρουργικὴν* licebit cum ipso *Celso* definire: quae non quidem medicamenta atque victus rationem omittit, sed manu tamen plurimum praestat. Quemadmodum igitur *Φαρμακευτικὴν* in vniuersum curationem exhibebat eorum, ad quae tollenda maxime opus erat medicamentis: sic *χειρουργικὴν*, arbitror, exposuisse de externis malis corporis, non quibuslibet demum, sed iis tantum, in quibus manuum et instrumentorum maxima vis esset. Quod si vero, vt de quaestione altera nunc dicam, scire cupias, quaenam corporis mala tractare *chirurgis* licuerit: non dubito adfirmare, eos occupatos fuisse in curandis externis quibuscunque, quae manuum ope et auxilio carere nequeant; adeo quidem, vt nec

D  
empla-





emplastrorum nec reliquorum foris adhibendorum usum et applicationem excipi velim. Veteres autem chirurgos ad sananda vulnera, sistendumque sanguinem suamet manu medicamenta adhibuisse; prae ceteris etiam **PLYTARCHVS** docet supra a me laudati *libri de Homero c. 116.*, ubi de HomERICA chirurgiae peritia agit, et, **MENE-LAVM** ergo, inquit, **MACHAON** curat, *primum sagittam extrahens, deinde vulnus contemplans, atque sanguinem exprimens, ac siccantia medicamenta inspergens.* Quod non scripturus fuerat, nisi chirurgi suo florentes tempore ad sananda vulnera aliaque externa usi medicamentis essent; id quod omnino negant, qui, ut supra vidimus, chirurgorum vices magnam partem tribui pharmaceutis volunt. Sed, ut omittam nunc quae ad chirurgorum seu vulnerariorum vices et functionem pertinent, *Φαρμακευτικῆς* supra ostendi a reliquis diuisae medicinae cultoribus non distinctos fuisse, nisi secundum eius diuersarum partium rationem et differentiam: idem dicendum arbitror de medicis studiosis *χειρουργικῆς*, de quibus Celsus passim ita disputat, eos ut honore et eruditione insignes fuisse, facile intelligas.

#### §. XVIII.

Ex haecenus dictis itaque apparet, tres illas partes, in quas temporibus Herophili et Erasistrati medicina diducta fuit, non esse considerandas tanquam tria diuersa sanantium diuersorum mu-



munera, sed vt tot diuersas disciplinas, quae singulae post medicinae diuisionem, siue in scholis, siue in scriptis medicorum factam primum ortae, et successu deinde temporis sensim paulatimque magis cultae suos tandem proprios professores acceperunt, a se inuicem non distinctos nisi studio aut partium differentia, sicuti pathologiae doctores, vt hoc vtar, diuersi ab his sunt, qui physiologiae aut therapiae scriptis suis colendae illustrandae hodie operam dant. Circa Celsi certe tempora eiusmodi professores vixisse, qui trium medicinae partium vnā alteramue seorsum colerent, ipse praef. in libr. 7. his quidem verbis indicat: Deinde, posteaquam diducta ab aliis habere professores suos coepit, in Aegypto quoque increuit, Philoxeno maxime autore, qui plurimis voluminibus hanc partem diligentissime comprehendit. Et paullo post: Ac Romae quoque non mediocres professores, maximeque nuper Tryphon pater, et Euelpistus Phlegetis filius, et vt ex scriptis eius intelligi potest, horum eruditissimus Megetes, quibusdam in melius mutatis, aliquantum ei disciplinae adiecerunt. Quin ipsum Celsum eiusmodi professorem Romae fuisse, contendere non dubitat vir πολυμαθέ-

σατος GEORG. WOLFFG. WEDELIVS. f) Nostrae igitur in tres partes diuisioni idem accidisse dixerim, quod euenire in plerisque scientiarum partitionibus solet, quae a diuidentibus magistris vel in scholis vel in scriptis primum constitutae,

D 2

fuc-

f) praef. in Aurel. Cornelium Celsum.





successu temporis et sequentium cultorum industria, sensim sensimque in diuersas abeunt disciplinas minores, quae iunctim sumptae maiorem, seu totum suum efficiunt. Sic notissima illa, et a medicis maxime celebrata medicinae theoreticae in quinque partes diuisio primum, quod sciam, prolata in medium est ab *Introductionis g)* vulgo Galeno adscriptae auctore, post cuius tempora singula partitionis huius membra ita culta fuisse constat, vt tanquam diuersae doctrinae et docerentur scriptis oreue a doctoribus, et ab alumnis perciperentur; adeo quidem, vt harum partium quaeuis peculiarrem suam in Academiis nunc professorem habeat. Quae res quum ita sese habeant, fieri non potest, quin errent, qui *CELSVM*, saepe laudato loco, non ipsam scientiam medicam, sed medicorum practi-  
 corum vices et functiones diuisas innuisse contendant.

#### §. XVIII.

Multo minus audiendi sunt, qui hodiernae et pharmaciae et chirurgiae rationem et vtriusque a reliquo medicinae quasi corpore separationem non aliunde deducendam existimant, nisi ex hac ipsa diuisione nostra, quam inde fatalem *h)* et rei medicae perniciosam appellare non dubitant. Nam primo, chirurgiam, si antiquam spectes, quis necit omnium medicinae partium primam et vetustis-

*g)* c. 7.

*h)* vid. *Andr. Ottmar Goelike hist. medic. vniuersal. Periop. VI. extrem.*



stiffimam i), ac proinde ipsa diuisione nostra antiquiorem esse: Sin vero nouam hodiernam; huius, tenendum est, conditionem et a medicina separationem florente aut verius incipiente Schola Salernitana seu temporibus latino-barbaris demum secutam esse: quod prae reliquis etiam obseruauit CHRISTIAN. WILH. KESTNERVS. k) Ad pharmaciam deinde hodiernam quod attinet, medicos veteres cum Graecos tum Romanos constat suamet manu praeparasse medicamenta: adeoque talibus non opus habuisse hominibus, quales hodierni pharmacopoei sunt. Non me praeterit, fuisse olim, qui merces medicas, vt sic dicam, medicis suppeditarent venderentque; quo pertinent pigmentarii, aromatarii et id genus alii. At horum conditionem et vices longe diuersas fuisse a munere, quo moderni pharmacopoei funguntur, nemo ibit inficias, qui in hanc rationem paullo diligentius inquisuerit. l) Praeterea hodiernorum pharmacopoeorum ratio atque origo non adeo est antiqua, eam vt a CELSI aut adeo Herophili temporibus repetere liceat. Audiamus enim virum doctissimum et rerum antiquarum longe peritissimum HERM. CONRINGIVM, qui de *Hermetica medicina libr. II. c. 8. p. 293. plurimis*, inquit, *seculis caruit iis (officinis pharmaceuticis) ars medica, ipsis medentibus*

D 3

s) vid. *Celsum praef. in libr. 7.*k) vide huius *kurzen Begriff der medicinischen Gelahrtheit.*

l) vide ANDR. OTTOMAR. GOELICKE disputat. de mutilo medicinae corpore refartiendo, per chirurgiam et pharmaciam postliminio reuocandas §. XVII.



bus domi pharmaca sua conficientibus. Idem mos hodieque per omnem Asiam obtinet. In Africa primum videntur medici hanc curam a sese in alios reieciſſe, ante hos quingentos amplius annos. Et paucis interiectis: Auenzoaris ſane aeuo, qui ſeculi duodecimi initio, undecimi ſine, floruit, morem illum in Africa obtinuiſſe, non videtur dubitandum. Inde cum doctrinarum artiumque omni genere in Hispaniam primum mox in Europae reliqua conceſſit. Hinc igitur patet, etiam pharmaciae a medicina ſeparationem iuniorum eſſe, quam vt rationem et ortum eius apud Graecos aut Romanos quaerendam eſſe exiſtames.

### §. XX.

Si quid interim de diſtinctis veterum medicorum muneribus, diuerſisue eorundem functionibus definire velis; ſolam chirurgiam apud Romanos aliquando ab arte noſtra ſeparatam fuiſſe, recte dixeris. Quantumuis enim veterum medicorum plerofque victum ordinariſſe, medicamenta adhibuiſſe et chirurgiae opera exercuiſſe, hiſtorici noſtri ſcribant; nihilo tamen ſetius clinicos chirurgosque aliquid diſcriminis Romae ſaltem interceſſiſſe, forte non eſt negandum. Ipſe enim GALENVS in *medendi methodo* alicubi ſe fatetur in Graecia chirurgiam adminiſtrare ſolitum, Romae vero eius adminiſtrationem reliquiſſe iis, qui huic officio peculiariter ſe dabant. Quod diſcrimen inter clinicos et chirurgos



gos seu vulnerarios etiam obseruat SALOMO  
 CELLARIUS in *origin. et antiquitat. medic. C.*  
 III. §. 4. 5. quem igitur adi. Verum enim vero  
 propterea neuiquam statuere licet, inter medi-  
 cos veteres fuisse etiam, qui iure quasi archite-  
 ctónico *διατητην* et morborum internorum  
 curam sibi vendicantes malorum corporis exter-  
 norum sanationem partim pharmaceutis partim  
 vero chirurgis traderent vtrisque vtentes pro  
 famulis. Nam vt nihil dicam de pharmaceutis,  
 quorum conditionem mihi fateor ignotam esse,  
 chirurgi aequae erant medici dignitate et honore iis  
 non multum forte minores, qui clinici diceban-  
 tur; quod prae ceteris intelligere est ex honori-  
 bus, quibus Romani ornarunt virum magni no-  
 minis ARCHAGATHVM, qui testante PLINIO  
 primus e Graecia Romam venit medicus chirur-  
 gicus siue *vulnerarius*, e re ita dictus, quod vul-  
 nera sanabat. Interim non nego, fuisse etiam,  
 qui omnis rei medicae aut chirurgicae minime  
 periti vni alteriue chirurgiae parti se totos con-  
 fecerant, eamque exercentes medicis et clinicis  
 et chirurgicis, quoad honorem et dignitatem, in-  
 feriores essent. Discimus enim ex GALENI libr.  
*de part. art. med.* fuisse Romae, qui *ocularii*, *den-*  
*tarii*, quin *aurarii* dicerentur; quos HERM. CON-  
 RINGIVS *introduet. in art. medic.* tales dicit, qua-  
 les nonnulli ophthalmici hodie sunt, aut illi,  
 (ipsius optimi viri verba sunt) *qui vel tantum*  
*circa luxationes, vel ulcera, vel quodcumque de-*  
*mittunt*






*mum aliud corporis nostri vitium vulgo occupantur: homines vt plurimum nulla reliquarum artis partium peritia, nulla elegantiore doctrina, nulla personae dignitate instructi, sed Scavavos et e fece Romuli. Eiusmodi medicis etiam Aegyptum abundasse HERODOTVS in Euterpe docet. De cetero si quis velit quaerere aut appellare medicos architectonicos, satius erit, nomen hoc hodiernis tribuere medicis, quibus multum viliores fuisse clinicos veteres adductis rationibus demonstrat IO. ARGENTERIVS in Claud. Galen. art. medicinal. comment. I.*

### §. XXI.

Sed haec de antiqua medicinae in tres partes diuisione disputasse sufficiat. Quae cum cordato lectore communicavi, non, quo ingenii mei aciem iactarem, aut me ostenderem ceteris videre posse acutius; sed speciminis causa, et vt quasi quaerem ab eruditis, quomodo supra adscripta CELSI verba esse accipienda, numue ea, quae hac de re scripserim, probanda, an tanquam infirma et nullis nixa idoneis fundamentis reiicienda putarent. Quod si quis itaque me nonnullis in rebus errasse demonstrauerit, meliora me quidem docturus, stilum vertens libenter delebo errores gaudeboque noua quasi discendi occasione, qua mihi per omnem vitam nihil esto carius.







THESES AD DISPVTANDVM.

- I. Nihil fortasse medicos magis latet , quam natura febris.
- II. Perpetui febris a caussis internis ortae quasi comites sunt horripilatio, pulsus velox, et calor.
- III. Sola tamen pulsus velocitate medicus febrim adesse iudicat.
- III. In statu morbi corrupti, qui post febrem et haemorrhoides turbatas minatur, maior spes fulget, febrem, quam haemorrhoides reuocandi.
- V. Hydrops ex visciditate et metastasi febrili, dummodo viscera nondum grauius laesa, & dulc. leuatur.
- VI. Veteres medici in distinguendis constituendisque pulsuum generibus et differentiis nimis copiosi fuerunt et subtiles.
- VII. Difficile dictu, quid in corpore aegroto eueniat tempore *negotiosus*, aut quo pacto fiat, vt vincatur morbus, natura superior sit.
- VIII. Mirum, lienis vsum et functionem medicis nondum innotuisse satis, cum tamen et Anatomia et Physiologia tanta hodie augmenta ceperit.
- VIII. Quamuis hodie, quae est seculi nostri felicitas, nouis illis inuentis, vt sanguinis circulo, aliisque rebus vereribus ignotis vti liceat, multum tamen abest, vt morbos et illorum effectus a priori intelligere possimus.
- X. Schirrhus est tumor durus et indolens. Cui si dolor accedit, cancer oritur. Cancer itaque a scirrhus non nisi dolore differt.



E





MONSIEUR

*Je vous prie de croire que c'est avec un vrai plaisir, que je vous fais mes remerciemens de ce qu'il vous a plu en m'invitant à vous proposer mes doutes sur votre savante dissertation, me procurent l'occasion de m'instruire par vos Lumieres. Agréez que je vous felicite MONSIEUR de cette epreuve que vous donnez publiquement de votre erudition, et que je souhaite de tout mon coeur que vous recueilliez bientôt le fruit de vos veilles. Je suis avec un parfaite consideration, et un attachement veritable*

MONSIEUR

*Helmsted,  
le 28. de Septembr.  
1766.*

*Votre très humble Serviteur et  
très dévoué ami*

HANS JOACHIM COMTE D' AHLEFELDT.



VIRO  
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
MARTINO IACOBSEN

S. P. D.

IOANNES TRAVGOTT ADOLPH

M. D. ET P. P.

*Eiusmodi sane prodidisti iam doctrinae TVAE specimen, quale dudum exspectaueram, qui TE TVOSQUE NORAM amoves Latii Graeciaeque veteris, unde scientiarum omnino primordia ad nos promanarunt. Etiam nunc hos fontes adire iuuat quam maxime, quos posteritas quantumuis sera nec exhauset, neque siccabit vnquam. Sed plurimos nostrorum temporum absterret itineris hic difficilis taedium, atque paucorum eluctatur peruicacia. Habentur autem praestantiora, quae rara. Eximiae proin Laudis commendationem TIBIMET IPSE parauisti, dum, quibusnam finibus circumscripta processerit ars medica pristinis illis CELSI temporibus, post aliorum egregiorum virorum operam, iterato inquisuisti. Erunt forsam, qui totius artis exercendae onus censebunt maius, quam quod vnus perferant humeri. Et iidem illi colligere hinc pergunt: quemadmodum hodie sua bene relinquunt medici cbrurgis*

E 2

vti-





utrique vero pharmacotheis, adaeque istius instituti commo-  
da sensisse, procul dubio prudentiam seculi CELSIANI. Quin so-  
lius chirurgiae peculiare modo partes, ceu oculariam, den-  
tariam, obstetriciam, lithotomicam et ossium curatricem,  
celebribus in urbibus, magno artis emolumento, a singulari-  
bus exerceri viris, qui hac ratione excellentissimi facti alius  
vel spem imitandi praeriperent. At tamen hi ipsi ocularii,  
dentarii aut obstetricii chirurgi absque omni chirurgiae ac  
medicinae reliquae scientia tantum abest, ut excellere possent,  
ut potius plurima inconsulto et male forent perpetraturi.  
Quanto minus calleret medicus, sanitatem recte tueri sine  
cognitione aliqua chirurgiae, quippe cuius lumen abditorum  
tot malorum initia, progressus ac fines illustrat. Mancum  
ergo et mutilum tradidissent iatrices studium ipsi illi artis  
medendi antistites, nisi discipulos suos diaeteticen, pharma-  
ceuticen et chirurgicem docuissent, quanquam totidem diuer-  
sas doctrinae vniuersae quasi regiones condiderint. Aliud ta-  
men esse, facile intelligitur, in his doctrinae amplissimae re-  
gionibus non hospitem agere, aliud, ceu indigenam omnia  
et singula penitus nosse; aliud item rem scire, aliud, exer-  
citiū dextri facilitatem consecutum esse. Magnos magna  
decent, et excitata noscuntur ingenia, quae studii calcem mi-  
nus breuem sed longi decursus sibi figunt. Quo ipso nomine  
TIBI denique plaudo inter celebritatem nouorum honorum.  
Scis meum animum, quo forte commendatus TIBI haerebo.

Vale. Dabam Elmstadii d. XXVIII Sept.

MDCCLXVI.

\* \* \*



6

VIRO PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**MARTINO IACOBSEN**  
SVMMORVM IN MEDICINA HONORVM CANDIDATO  
DIGNISSIMO

FAMILIARI AC NECESSARIO MEO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

**IOANNES AVGVSTVS MATTHIESSEN**

IVRIS VTRIVSQUE LICENTIATVS.

*Ita mihi, quae opto, omnia feliciter contingant, ut quae tibi hodie summos in Medicina honores capeissent dicam, non reperio. Gratae ne hos tibi honores, an laudem, praedicemque de te, quae laudari praedicarique vix unquam satis a me posse intelligo? Neutrum faciam. Alterum namque adeo est vulgare adeoque tritum, eo ut si uterer scribendi argumento ne et tibi et ipse mihi molestiam crearem, verendum sit. Alterum vero eiusmodi est, ut laudes tuas tuaeque in me merita praedicare nequeam, quin humilem me assertorem lectores sint existimaturi. Quis enim mihi crederet, iussis tuam doctrinam laudibus extolenti teque ex animi mei sententia amicum ipsi meis fratribus ipsaque mea vita cariorem dicturo? Cum igitur utroque scribendi argumento me videam destitutum, nihil restat, nisi ut quae tibi quantumvis audire recusanti saepe privatim dixi, ea nunc publice repetam, consistarque, me nimirum, cui mortalium cum in litteris, praesertim humanioribus, tum in ceteris, quae ad amicorum officia pertinent, plus deberem quam tibi, habere neminem, meque inde per omnem vitam meam tui futurum studiosissimum. Vale.*

*Dabam Helmstadii d. XXVIII m. Sept. MDCCCLXVI.*

VIRO PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**LAVREAE DOCTORALIS CANDIDATO**

LONGE DIGNISSIMO

AMICO INTER PAVCOS SVAVISSIMO

S. P. D.

**CHRISTOPH. AVG. FRANC. HEVMANNVS**

BRNOVICENS. MED. CVLT. ET OPP.

*Exoptatissimam hanc occasionem, animi mei in te obstrictissimi declarandi eo libentius arripio, quo gravius amicitiae est momentum, omnia, quae amico eveniunt sausta, propriae sibi ducere fortunae. Quid igitur mihi iucundius unquam obtingere potuit, quam*  
ami-



amicum in cathedram adscendentem, summisque in arte saluari honoribus omnium sano applausu coronandum concomitari. Gratulor itaque TIBI, Amice suavissimo, lauream doctoralem diu iamam promeritam: Gratulor omnibus TVIS, de honore, qui ex doctrina, qua ornatus es eximia, in ipsos redundaturus est certissimus. Gratulor patriae TVAE de medico, qui scientia civium sanitatis conferuandae amissaeque restituendae imbutus est perampla: Gratulor denique et mihi de amico virtutibus acque ac doctrina exornato. Reliquum quod est, omnia omnis generis bona largo in TE defluant rivo, optimus iubeat Deus. Vivas diu sanus terque quaterque felix, mihi que ut amicitiam, qua hucusque me es complexus, conserues, summa meorum est votorum. Ad me praeterea quod attinet, meritorum TVORVM semper me fore cultorem persuasum habeas opto. Dabam  
Helmstädti 1766. d. 28. Sept.

VIRO PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**MARTINO IACOBSEN**  
MEDICINAE DOCTORANDO DIGNISSIMO  
AMICO SVO SVAVISSIMO

S. P. D.

**E. G. NEVMEISTER, HAMBVRGENSIS**  
MED. C. ET OPP.

**M**ibi nomen veri amici decesset, **VI**R PRAENOBILISSIME si hanc occasionem, cum praemium eximiae TVAE doctrinae summos in arte saluari honores capeffis, TIBI animi mei adfectus publice declarandi, avide arripere nollem. Intellego luculenter benevolentiam in me TVAM, cum in eo, quod publice edis, praeclearo eruditionis TVAE specimine dissentientis mihi munus dedisti. Persuasum habeas, hoc munus, magis ad admirandam egregiam TVAM scientiam quam ad refutandas nonnullas Theses TVAS, a me acceptum esse. Gratulor itaque TIBI, Amice dilectissime! de amplissimo Doctoris gradu, quem TIBI Gratiola Medica Facultas attribuet. Maeste virtute TVA esto, revertere in patriam feliciter! Omnia TIBI prospere succedant, DEVS T. O. M. largiatur TIBI numerosam annorum seriem, ut diu sis patriae TVAE salus, diu splendidae Familiae TVAE decus atque ornamentum, diu denique amicorum TVORVM solatium.

Vale, saveque mihi TVI etiam absents studiosissimo. Dabam in Academia Iulia Carolina, die XXVIII. Septembris A. R. S. MDCCLXVI.

\* \* \*



Ch. 965. 8<sup>o</sup>

ULB Halle  
001 501 16X 3




Sb.

N. C.











DISSERTATIO INAUGURALIS  
 HISTORICO-MEDICA  
 DE  
 ANTIQVA  
 MEDICINAE DIVISIONE

*Ma 1725*

*διαίτησιν, Φαρμακευτικῶν, et χειρουργικῶν.*




Q V A M

FAVENTE SUMMO NUMINE  
 IN ALMA IVLIA CAROLINA  
 GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
 AVCTORITATE ET CONSENSV  
 PRO GRADV DOCTORIS  
 SYMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
 RITE OBTINENDIS

D' XXX SEPTEMBR' MDCCLXVI  
 HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS

PVBlice DEFENDET

AVCTOR  
 MARTINVS IACOBSEN  
 ALTONANVS



HELMSTADII  
 TYPIS VIDVAE SCHNORRIAE, ACADEM. TYPOGR.

*Frederic Quaer*

